



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117840**

§. 41. Causa Joannis Lappensis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66082)

phonfus reliquit ingenii sui Monumenta, Sæculum VII  
A. C. 667.  
quæ in quatuor partes dividebantur.

Prima præter alios complectebatur Tractatum de Virginitate Sanctæ Virginis, qui solus nobis superest, & Tractatum de Proprietate Divinarum Personarum. Pars secunda ejus Epistolas continebat, Tertia Missas, Hymnos, & Sermones, in quarta varia opuscula, atque etiam Epitaphia & Epigrammata partim ligata Bibl. PP.  
Paris to.8.  
p. 264. partim profaica oratione concinnata legebantur. Idem S. Isidori Catalogum v. Lab. Scr.  
Eccles. to.1.  
p. 505. de Viris illustribus continuavit. Alius Dupin. to.7.  
p. 110. quoque Tractatus de Virginitate S. Virginis, & duodecim Sermones in quædam Virginis festa S. Ildephonso a quibusdam tribuuntur, quæ ipsius esse, Eruditi sibi persuadere non possunt.

## §. XLI.

*Causa Joannis Lappensis.*

Eodem anno 667. 19. Dec. Joannes, Epist. 1.  
Vital. to.6.  
Cont. p. 445. Episcopus Lappensis in Insula Creta, Romæ Vitaliano Papæ in Ecclesia S. Petri Libellum obtulit, quo eum obtestabatur, ut sibi jus suum tribueret, & Sententiam contra se & alios Cretæ Episcopos a Paulo Archiepiscopo & Metropolita suo latam rescinderet. Post aliquot dies, cum Papa Concilium ad examinandam hanc Causam convocasset, lecta sunt Acta Concilii Cretensis a Paulo trans-

Sæculum VII transmissa, atque Libello supplici con-  
A. C. 667. sentanea inventa; Patribus vero Conci-  
 lii visum, sententiam contra Joannem  
 non secundum timorem Dei & Canones  
 fuisse latam, & inprimis indignabantur,  
 quod in carcere fuisset custoditus, unde  
 in Curiam Archiepiscopi deductus, ea,  
 quæ Archiepiscopus cupiebat, dicere  
 fuisset compulsus, & postea denuo mis-  
 sus in carcerem. Præterea contra Ca-  
 nones & Leges ab eo petierant, ut va-  
 des daret. Tandem Joannes Litteras(\*)  
 ad Papam poposcerat, quas Paulus Ar-  
 chiepiscopus tanquam contra fas petitas  
 dare renuerat.

Itaque Concilium Romanum Judi-  
 cium & Sententiam Concilii Cretenfis  
 contra Joannem Lappensem latam irrita-  
 vit, eum innocentem pronunciavit, præ-  
 cepitque, ut damnum omne, quod ipse  
 & Ecclesia ipsius tulissent, repararetur.  
 Hoc modo absolutum Papa Missæ suæ  
 cum ceteris Episcopis adesse voluit. Tum  
 litteris ad Paulum Archiepiscopum datis  
 Judicii Romani Sententiam significat,  
 jubetque, ut exequatur. *Mox ubi hæc  
 mandata perlegeris, inquit Papa, ea sta-  
 tim illi, qui defert, reddes, quo Joanni  
 Episcopo & Ecclesiæ ejus securitas præ-  
 stetur.* Joanni Episcopo per Sicilia lit-  
 tora,

(\*) Hodie Apostoli dicuntur.

tora, ubi Cæsar morabatur, in patriam redituro Papa duas tradidit Epistolas commendatitias, unam ad Vaanum Cubicularium & Chartularium Imperatoris, alteram ad Georgium Episcopum Syracusanum. Prima 27. Jan. 668. Indictione undecima data est.

Sæculum VII  
A. C. 668.

ep. 2. 4.

§. XLII.

*Constantis Fata. Constantinus Pogonatus Imperator.*

Constans Imperator jam toto quadriennio Syracusis versatus subjectos sibi populos, innumeris exactionibus tam agrorum possessores secundum tabulas, quas habebat, quam ceteros habitatores imposito censu viritim præstando vexabat. Nec illi exempti, qui rem maritimam curabant. A maritis uxores, a parentibus liberi abstrahabantur, nemo ab injusta vi satis securus degebat. Vasa Sacra & Ecclesiarum thesauri diripiebantur. Tandem decimo quinto Julii, hujus anni 668. Indictione undecima cum Imperator Syracusis Balneum, quod *Daphne* vocabant, esset ingressus, Andreas Troili filius Principem quasi obsequii causa secutus, corpus saponem odorato purgantem capiti situlam ter quaterque impingit, effugitque. Tum postquam foris excubantibus mora nimis longa visa est,

Anast. in  
Vital.

Theoph. an.  
27. p. 292.